II 52726/P

Auſpice JESV recens nato!

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS DE MEMORIA ejusque REMEDIORVM NATVRA, VSV, ET ABVSV,

Quam

In Athenæo Salano Famigeratiſſimo,

Autoritate & indultu

Gratioſæ Facultatis Medicæ,

PRÆSIDE

RVDOLFO GVILIELMO CRAVSIO,

Hereditar. in Meſslingen/ Ph. & Med. Doct. Prax. & Chym. P.P. Ord. celeberr. Facult. Med. Seniore graviſſimo, A. C. LEOP. N. C. Collega Primario, &c.

Patruele, Mæcenate, atq; Præceptore ſuo æternùm venerando, colendo,

PRO LICENTIA

Doctoris gradum ritè, & more majorum capeſſendi,

publicæ eruditorum diſquiſitioni ſubmittet

CHRISTIAN. IVSTINVS Wolff/ Naumburg. Miſn.

In Auditorio majori, horis ante- & pomeridianis

ad diem Januar. clↃ IↃC XCVI.

IENAE, Litteris MVLLERIANIS.

PRÆFATIO.

QVàm utilis in vita humanâ, quamque in converſatione tàm civili, quàm cum eruditis neceſſaria ſit MEMORIA, nemini poteſt eſſe ignotum. Hæc enim omnis vitæ uſum, omnes artes, omnesque ſcientias unà continet; Hæc eſt, quam ſapientisſima antiquitas ſapientiæ fontem & matrem ſcientiarum ſalutavit, & ſi hanc è medio ſuſtuleris, fruſtrà docemur; quidquid enim audimus, videmus ac ſenſibus percipimus, præterfluet & peribit, quia unicum eſt adverſus rerum omnium ignorationem & oblivionem, remedium, à DEO TER OPT. TERq; MAXIMO hominibus datum, unde divinam animi facultatem illam meritò deprædicare poſſumus.

Cùm igitur memoria omnium, tàm artium, quàm diſciplinarum genitrix ſit fœcundisſima & fertiliſſima, inque vita hominis feliciter traducenda maximè neceſſaria, ideò ut eam in ſuo vigore conſervemus, læſamque ex arte reſtituere conemur, noſtrarum videtur eſſe partium.

Quæ cùm ita ſint, nos operam luſuros non exiſtimamus, ſi DISSERTATIONIS INAVGVRALIS loco, quantum quidem pro ingenii tenuitate, temporisque & paginarum ſpatio licebit, in MEMORIÆ STATVM SECVNDVM & PRÆTER NATVRAM, nec non REMEDIA ipſi læſæ ſuccurrentia inquiramus.

Faxit DEVS T.O.M. ut hæc omnia eveniant feliciter!

A. Ω.

CAPVT I.

MEMORIÆ PHYSIOLOGIAM BREVITER EXPONIT.

CVm, volente DEO, animus nobis ſit, MNEMOCEPHALICA, ſeu MEDICAMENTA MEMORIAM JVVANTIA impræſentiarum ſub diſſertationis incudem revocare, non abs re forſan erit, prius *memoriam* ipſam, quomodò illa ex mente probatiorum autorum in ſtatu tàm naturali, quàm præternaturali ſe ſe habeat, & quantum ad ſtatum noſtrum neceſſarium videbitur, pauciſſimis expendere.

Arduum autem eſſe, de hujusmodi intricata materia aliquid certi ac indubitati tradere velle, cum *Excell. Bohnio* in *circulo Anat. phyſ. progyusn. 28. p. 435.* liberè fateri, imò id humanis viribus propè impoſſibile eſſe, dicere cogimur, cùm internorum ſen-

ſenſuum organa, vires & agendi modi adeò hûc usque abſtruſa fuerint, ut præter notionum detorſiones, aut allegoriarum cumulos ſcriptores nihil ferè nobis reliquerint, neque ex anatomicis, ac partium ſolidiorum conformatione aliquid lucis doctrina hæc ſibi promittere queat. Idem ſentit *du Hamel, tract. de corp. animal. l.1.c.6.p.514.* dicens, quod memoriæ vim incredibilem, aut naturam, aut ſedem animo conſequi vix posſimus.

Faciamus igitur, quantum in his per mentis noſtræ caliginem licebit, cum in magnis etiam voluiſſe ſat ſit, &, ubi verbulô ſaltim, quid ſub *vocula memoriæ* hôc locô intellectum velimus, indicaverimus, quid ea ipſa nobis eſſe videatur, trademus.

Vocabuli *MEMORIÆ*, quæ Græcis μνήμη, item μνημόσυνον, à Græco μέμνημαι dicitur, ſignificationes inveniuntur plurimæ & diverſisſimæ, multæ tamen ab inſtituto noſtro planè alienæ ſunt, quas ideò ſicco pede præteribimus, potiores ſaltim indicando.

Nimirum denotatur hoc vocabulo interdum: 1.) *Facultas & vis* animæ, puta ſenſitivæ, quâ ideas, ſeu imagines rerum apprehendere poſſumus; 2.) *Actus memorandi*, qui *Ariſtoteli* μνημονεύειν appellatur, & hoc ipſo à facultate ſeparatur; 3.) *Habitus*, ſeu notitia ipſa rerum meditationibus & uſu adquiſita; 4.) Interdum quoque ſumitur pro *reminiſcentia*, quæ tamen λογισμὸν ac rationem ſemper arguit.

Prima vocabuli memoriæ acceptio nobis præ aliis hîc in conſiderationem venit, eamque hoc modo deſcribimus: *Memoria eſt facultas animæ, quâ ideæ rerum vel per ſenſus externos ad internos transmiſſæ, vel etiam à phantaſia conceptæ & formatæ excipiuntur, & reconduntur, ut eædem, quando opus fuerit, phantaſiæ iterum judicandæ ſiſtantur.*

Diximus memoriam eſſe *facultatem*: quod enim *Hippocr. l. 1. de vict. rat.* vocat δύναμιν, id Latini *potentiam, vim* aut *facultatem* interpretantur; ſuntque hæc medicis plerumque ſynonyma. Novimus equidem, quosdam memoriam ad ſenſus internos referre, ipſamque definire, quod ſit *ſenſus internus*, ſed

 obſtare

obſtare videmus, quod ejus non ſit cognoſcere, ſed cognitum, ſeu ideas cognitas ſaltim recipere, receptasq; recondere. Interim cum nemine ſuper his, ad phyſicam potius pertinentibus contentionis ſerram reciprocabimus, eô contenti, quod, quôcunque demum modo memoria ab aliis definiatur, *potentiam* tamen, & *vim*, aut *facultatem* ipſam eſſe, nemo hactenus negare auſus ſit.

Ex dictis verò liquet, memoriæ facultatem, ſeu vires in *duobus* conſiſtere, nempe in *retinendo*, aſſervando, vel recondendo rerum ideas, à ſenſibus ipſi concreditas; qui primarius memoriæ actus eſt; deinde in *depromendo*, ubi ſcilicèt phantaſia illis opus habet.

In utroque vero memoria ſe *pasſive* habet: hinc à *Platone* cum *cera*, ab aliis, & à *Magnifico Wedelio, Præceptore meo æternum dèvenerando, in phyſ. ref. pag.* 414. cum *protocollo*, item cum *hiſtoria totius vitæ perpetua*, *ephemeridibus*, *commentario*; à prælaudato *Excell. Bohnio l.c.p.*439. *cum cyſta* theſaurum retinente ac reddente egregiè comparatur, & ſic forſan res illuſtratur: Uti cera ſigilli figuram ab alio ipſi impreſſam tantùm ſervat & conſervat, uti hiſtoria res geſtas ab hiſtorico poſteritati relictas, uti protocollum à regiſtratore illata, conſignata & conſcripta, & ephemerides obſervationes rariores in ſe continent, uti cyſta theſaurum à depoſitore impoſitum recondit, ſic etiam memoriæ virès ſe ſe habere videntur; Sunt ſcilicet non inſtar manus apprehendentis & comprehendentis, ſicq; tenentis, ſed potius inſtar ceræ, protocolli, cyſtæ, &c. imprimi, inſcribi, imponi quod pasſa ſunt, ſervantium.

Neque tamen memoriæ vis tantùm in retinendo, ſed & in *reddendo* ſe omninò *pasſive* habet. Quemadmodum enim id, quod pasſive tantum aliquid recipit, i.e. ſibi imprimi, aut imponi patitur; tale etiam pasſive retribuit, atque reddit, e. g. cyſta reddit theſaurum, dum manum depoſitoris illum inde reſumere & tollere patitur, ita etiam phantaſia ſpecies, ſeu ideas memoriæ impoſitas, & ab hac pasſive ſervatas, retentas & repræſentatas ſuô tempore repetit, ac veluti auffert.

Licet autem hæc per ſimilia ſic illuſtrata perſpicuè ſatis

explicata

explicata videantur, mille tamen adhuc ſuperſunt difficultates. Etenim ſimile non eſt idem; hinc poſito licet ſimili à cera deſumto memoriæ naturam aliquo modo explicari, & prout quidam autores volunt, in memoria rerum externarum veſtigia & imagines excipi, & ob ſubſtantiam cerebri mollitie & duritie mediocrem, ſuſcipiendisque ſimulachris idoneam inſculpendo conſervari; Nondum tamen conſtat, quomodo fieri posſit, ut figuræ, ſeu idearum ſpecies tantâ copiâ in cerebro concurrentes, ſe ipſas non exſtinguant, deleant, atque aboleant? cùm hoc neceſſario contingat in cerâ, ſi variarum figurarum ſigilla ipſi imprimantur. Præterea, cur, ſpecies ac imagines in materia ſi reciperentur, materia, ſpecie unâ, alterâ, aut tertiâ, imò centeſimâ & milleſima inductâ, non plena fiat & confuſa? Ut omittam, quæ circa alias allatas cum memoria comparationes emergunt difficultates. Verum, cùm hæc talia ad phyſicos quoq; potiùs, quàm medicos ſpectent, illis meritò eadem inquirenda ac decidenda committimus; Sicuti etiam, quæ circa diſtinctionem inter memoriam *intellectualem* ac *ſenſualem* diverſisſima occurrunt dubia, iis quoque dijudicanda relinquimus; nam quia memoria in homine κατὰ συμβεβηκὸς, ſeu per accidens ſaltim in intellectu conſiſtit, medicus propterea neque quoad cauſæ cognitionem, neque quoad curam, aliam prolixam deliberationem ſuſcipere opus habet.

Subjectum potentiæ memorativæ primarium eſt *anima ſenſitiva*, ſenſus & motus cauſa efficiens primaria. Memoria enim, ceu dictum, eſt potentia animæ, ipſi inſeparabiliter, ſeu indiviſibiliter inhærens, imo ipſi intima.

Cùm verò quælibet cauſa efficiens, ut debitè operetur, & quodlibet actionis exercitamentum, ritè ut perficiatur, locum convenientem & liberum, ſive officinam ſatis adaptatam requirat, quia, quamvis etiam cauſa efficiens & inſtrumentales legitimè ſe habeant, ſi locus non ſatis aptus, ſeu officina non debite formata, neceſſariis requiſitis inſtructa, & adaptata commodè fuerit, agens effectum ſuum non, prout res poſtulat, conſequi,

& acti-

& actiones peragere poteſt; atque hinc, licet anima ſe benè habeat, & ſpiritus boni ſint, attamen ſi e.g. ventriculi, aut renum, imò ipſius cordis conſtitutio læſa fuerit, tùnc neque chylificatio, neque ſeri inutilis ſecretio, neque ſanguificatio debitè fieri poſſint; ideò quoque ut anima potentiam μνημονευτικὴν, prout decet, exerceat, oportet non ſolum ut ipſa ſe rectè habeat, ſed etiam, ut ſuam habeat neceſſariam, omnibus debitis requiſitis inſtructam, omnibusq; obſtaculis carentem officinam, & præterea necesſaria, propria, ac cuilibet ſpeciatim actioni ſufficientia inſtrumenta; his enim neceſſariis requiſitis deficientibus, nunquam rectè aget anima, neque agere poterit, iis, tanquam cauſis ſine quâ non deficientibus.

Quænam vero illa animæ ad memorandum deſtinata officina ſit, de hoc diſſentientes deprehendimus autores:

Archigenes cor, alii *caput*, plures *cerebrum* ſtatuunt & vocant memoriæ ſubjectum, ſedem propriam, officinam, ut & inſtrumentũ, ubi, & quo anima memoriæ actum μνημονευτικὸν exerceat. Ut quoq; ea, quam hinc metuunt, ſenſuum reliquorum confuſio præcaveatur, ordinem certum unicuiq; animæ facultati in cerebro determinant, & attribuunt, cum quibus etiam faciunt Paracelſiſtæ, binos ſcilicet anteriores cerebri ventriculos *ſenſui communi*, tanquam ſenſuum externorum centro, *phantaſiæ* medium, & *memoriæ* ultimum, nempe in poſtica capitis parte, intra cerebellum adſignant, quamob rem etiam Græcis memoria παρεγκεφαλὴ, quaſi *cerebri appendix* videtur dicta, & qui ex vulgo ſapientiores ſibi videntur, plerumq; de juvenibus amplum ac benè prominens occiput habentibus dicere ſolent: Er hat einen guten Poeten-Kaſten/ ſive, eſt, vel fiet homo ingenioſus, quamvis, ut rectè *Georg. Bertinus medicinæ l. 7. p. 151.* ſentit, hoc perpetuò verum minimè deprehendatur.

Nos, cum in hiſce, circa myſterium ſenſuum, imprimis verò memoriæ verſantibus contemplationibus aliorum opiniones oppugnare facilius ſit, quàm ſuam tutò aliis committere judiciis,

cum nemine altercabimur, ſed verbo ſaltim, quid nobis circa rem ipſam videatur, exercitii gratia, citra aliorum præjudicium, trademus breviſſimè:

Nimirum *ſubjectum* ſeu ſedes animæ memorantis *remotiſſimum* poteſt dici cor, ceu Galenus dudum indicavit; *proximius* paulò eſt caput, tanquam locus ubi officina eſt; *proximum* verò, ipſa nempe requiſita memorantis animæ officina, eſt integra maſſa cerebri & cerebelli, in qua ſine ullo metu confuſionis aliarum facultatum actio μνημονευτικὴ ubique peragitur. Et quod obiter monemus, videtur nobis, quòd *phantaſia cum memoria* admodum in officio confundatur: Dicunt enim phyſiologi, *phantaſiam*, intra cerebrum locum ſibi vendicantem, hujus beneficiô ſpecies à ſenſu communi ad ſe delatas, *diutius retinere*; porrò dicitur, componere illam ſpecies à ſenſu communi perceptas variè, & ex illarum compoſitione interdùm mirabilia fingere; Aſt quomodo, quæſo, illa hoc præſtare poſſet, niſi etiam retineret ſpecies à ſenſu communi ſemel communicatas, quod officium, eſt memoriæ. Aut ergò hæ animæ potentiæ inter ſe, & à ſe parum diſcrepabunt, aut fruſtrà ipſi retentio attribuetur, aut in officio & miniſterio ſibi admodum arctè conjunctæ ſunt. Sed mittamus hæc, & ſufficiat hôc locô ſcire, ſedem & officinam memoriæ dicatam, propriam & commodiſſimam eſſe *cerebrum cum cerebello*, non excluſâ *ſpinali medullâ*, quæ omni jure cerebellum prolongatum vocari meretur.

Porrò cùm anima, quamvis ſenſuum & motuum ſit autor & rector, omnibusque, ubicunque eſt, potentiis plenariè inſtructa ſit; attamen, quamdiu corpori inhæret, actús ſuos exercere per ſolida inſtrumenta, etiamſi in ſe ſatis bene formata fuerint, haut poſſit, niſi adfluis, & mediantibus ſibi, quoad eſſentiam per totum fere ſimilibus *ſpiritibus*, ideò *inſtrumentum* animæ ad actum μνημονευτικὸν exercendum *principale ac primarium* ſunt *ſpiritus*.

Hiſce ſic poſitis, elucet ilicò, quænam ad *memoriam ſanam* atque *ſalvam*, ſive *in naturali ſtatu* conſideratam, requiran-

tantur: Nimirum (1) *Anima à curis & perturbationibus libera*, neque cogitationum varietate & multitudine in attentione impedita, tanquam agens in memoria principaliſſimum. (2) *Cerebrum debitè temperatum* & conſtructum ac formatum, nec pituitâ, aut nimia humiditate repletùm; tanquam officina producendis, parandisque ſpiritibus animalibus, ſenſibusque exercendis ſatis aptata. Ubi imprimis laudanda venit temperies moderatè calida & ſicca, utpotè quæ ad ſpiritus & actiones animales aptiſſima eſt, quò etiam collimare videntur *Itali*, dicentes: *Il ha una teſta ſecca*, id eſt, eſt homo ingenioſus, prudens. 3) *Spiritus* quoad *quantitatem* & *motum* ſe legitimè habentes, tanquam inſtrumentum primarium; his enim non ſatis benè conſtitutis, minusque ad animales functiones per agendas aptis, memoria & ſenſus facile lædi poſſunt, & contrà.

Differentiæ memoriæ naturalis potiores hæ ſunt: Bona memoria eſt, dicit *Lindenius phyſiol. p. m. 57.* quæ eſt facilis, firma & fida; ſed nos hanc vocamus optimam, quæ receptione facili, retentione diuturna, ac promta ſpecierum redditione ſe commendat, & requirit animam puriorem, à curis, meditationibus, ac gravioribus animi affectibus liberam, cerebri temperiem πρὸς δικαιοσύνην temperatam, & nullum ſpirituum in quantitate, qualitate atque motu notabilem exceſſum. Quamvis verò hæc rara avis in his terris ſit, interim de memorabilibus memoriæ multa exempla legi poſſunt apud *P. Caſp. Schott. phyſ. curioſ. l. 3. cap. 35. pag. 497.* & in *Simonis Majoli diebus canicularibus colloq. 4. p. 79.* *Proximè* ab hac memoria ſtat illa, quæ facilè quidem ideas rerum recipit, ſed non ſatis diu retinet, quæ repetitione, & medicamentorum ope, inprimis verò bonâ diæta corrigi poteſt. *Tertiò locô* poſita eſt illa, quæ quidem non adeò promte ideas recipit, ſed eas ſemel receptas diutiùs atque firmiùs retinet, unde in memorando ſtatim attentione ſeriâ & diligenti aſſiduitate opus habet. Recte ſentit *Ariſtoteles*, his, qui facilè, infelicem & infidam, & his, qui majori negotio diſcunt, feliciorem & fideliorem

exi-

exiſtere memoriam. Et hæc omnia pro diverſa temperie ac conſtitutione puriori & nobiliori animæ, cerebri & ſpirituum variant.

CAPVT II.

MEMORIÆ PATHOLOGIAM

explicat.

STatu memoriæ naturali jam aliquo modô abumbratô, ab eo ad *præternaturalem* progredimur, qui vel ex converſatione cum patiente, vel ex ipſius relatione facilè cognoſcitur, unde peculiaribus *ſignis* hic *affectus* non opus habet. Signa verò *cauſarum* colligi poſſunt ex gravitate capitis, ſomno profundo, torpore, excrementis ex auribus, oculis & naribus fluentibus, ex vigiliis nimiis, ſiccitate narium, & aliis, quæ prolixè tradit *Foreſtus l.10. obſ.33. pag.356.* qui videatur. *Memoria læſa* vocari ſolet *Oblivio*, defectus, debilitas, ſtupor memoriæ, Germanis audit: **Die Vergeſſenheit / das Gedächtniß leget ihm ab.** Alii dicunt: **Ein dummer Menſch der nichts kann in Kopf bringen.** Eſtque *læſio potentiæ memorativæ, qua ob animæ, cerebri, aut ſpirituum animalium diſpoſitionem præternaturalem, vel plane non, vel male meminimus.*

Læſio autem talis conſiſtit vel in *imminutione*, quando homo parum, tardè, & non ſine difficultate, eâque laborioſâ (nam naturaliter opus eſt actibus impresſionis pluribus, ſeu repetitis, ut aliquid memoriæ bene inhæreat) aliquid retinere, ac memoriæ imprimere poteſt, ſpecierumq; antea per ſenſus allatarum, perceptarum aut formatarum ideæ promtè ac debito tempore non

ſiſtuntur, ut à phantaſia, cum opus fuerit, reaſſumi & depromi poſſint, cujus exempla ſunt quotidiana, paſſimque obvia; Eſt tamen eorum, qui non bene meminerunt, varietas magna. Vel in *abolitione*, quando ſpecies per ſenſus allatæ, aut formatæ, licet etiam quaſi inculcatæ, plane non recipiuntur & retinentur, adeo, ut quoque ægri interdum ſui proprii nominis obliviſcantur, ceu de *Maſſala Corvino*, oratore Romano, refert *Plinius l.* 7. *cap.* 24. quod integris licet exiſtentibus omnibus reliquis ſenſibus, à morbo proprii nominis oblitus fuerit; ſic imperator *Caracalla*, quamvis in juventutis flore pro philoſopho acuto fuerit habitus, tantam tamen rerum omnium ac literarum oblivionem cepit, ut nunquam quidquam didiciſſe, imo ne literarum nomen unquam audiviſſe viſus fuerit, referente *Svida*. Sic de *Hermogene* narrant, eum, cum totius Græciæ in adoleſcentia fuerit præſtantiſſimus ſophiſta, poſt 18. annum omnia repentè oblitum, usq; ad 80. vixiſſe omnium ignarum. De *Orbilio Grammatico*, *Franciſco Barbaro*, ut & de *Georgio Trapezuntio*, hoc quidem ſene, idem legimus: imprimis videri de his merentur *Prælectiones Marciæ*, *ſeu Comment. in Thucyd. hiſt. de peſte Athenienſi Fabii Paulini Utinenſis pag. m.* 358. Tales quoque *Thraces* atque *Bœotos* fuiſſe, & vix ultra quaternarium progredi potuiſſe numerando numerum, inter alios authores teſtatur *Mœbius*, plura ejusmodi ſtupenda exempla collegerunt *Schenkius l.* 1. *Obſ. Sennert.* & alii. Notabile tamen hic quàm maximè eſt, quod memoria interdum læſa legatur *ad tempus*, interdum *in perpetuum*, præterea interdum *in totum*, interdum ex *parte*, ſic *Valerius Maximus l.* 1. ſcribit, fuiſſe Athenienſem, & doctum, qui ictus lapide, oblitus eſt literarum, aliarum verò rerum memoriam non perdidit. Et *Germanus* ille *Clericus* apud *Fulgoſum* 1 *c.* 5. ſervata aliarum rerum memoria literarum tantum oblitus fuit, nec plus aut legere aut ſcribere norat, ac ſi utrumque non unquam didiciſſet, & per annum in hâc oblivione manſit, poſteà verò legendi ſcribendique ſcientiam, quam anteà habebat, recepit.

Quoad

Quoad *depravationem* memoria non læditur, ſupra enim dictum fuit, hanc paſſivè magis ſeſe habere, & recepta, uti ſunt impoſita, atque ibi recepta, conſervare; Sicuti enim arca fida thesaurum ita, ut depoſitor ipſum indidit, conſervat, & quando opus eſt, exſumi permittit; ſic memoria quoque ſpecierum ſenſatarum ideas non aliter, ac à phantaſia formatæ ac traditæ fuêre, ipſi repræſentat, atque reddit. Hincprælaudatus noſter *Wedel. in phyſ. ref. c. 12. p. m. 415.* dicit: *Memoria varitheciam eſt animæ & theſaurarius, ubi conduntur & repoſita manent ſenſibus ſuggeſta & depicta. Atq; hinc eſt, quod quædam diſtinctè, quædam confusè, ſingula tamen ordinatè noverimus; prout enim una poſt alteram idea, ſeu ideæ ſit alluvio, ita etiam inhæret; Sique ex ordine elabatur in colligendo, facilè tamen errorem agnoſcimus, & hæc cauſa eſt, quod memoria non depravetur.*

Cauſa memoriæ læſæ *in genere* quærenda eſt, ceu priori in capite innuimus, vel in ſubjecto & agente principali, ſive *anima*, vel in *cerebro*, tanquam officina propria, vel in *ſpiritibus*, tanquam organis proximioribus, his interdum conjunctim; interdum etiam diviſim ſumtis, ac præternaturaliter ſe habentibus, idque aut ἰδιοπαθικῶς h. e. per eſſentiam, quando vel anima ex meliori luto non facta, ſed lutulenta, impurior, minusque vegeta eſt, ac vigoroſa, unde dantur, qui ab ortu ſtupidi ſunt, & ita permanent; nonnunquam etiam ex hereditaria diſpoſitione & ἰδιοσυγκρασίᾳ hoc contingere, exempla leguntur. Cumque ejusmodi brutâ & ſtupida animâ præditi homines inſtar brutorum affectus ſuos, imprimis in diæta nec regant, nec regere poſſint, hinc accidit, ut omnia, interdum etiam abſurda comedentes pravum & impurum chylum, impurosque ſpiritus generent, à quibus anima ipſorum ſenſitiva impurius, ut ſic dicam, nutritur. Animam enim & ſpiritus inter ſe forſan non differre aliter, quàm *ſpiritum inſitum* ac *influum* veriſimile, illamque ab his nutriri, ſive hos in illam tranſire & permutari, probabile videtur, prout etiam ex *Hippocr.* colligi poteſt, qui *6. Epid. comm. 5.*

 l. 5.

l. ſ. ait: Ἀνθρώπου ψυχὴ φύεται ἄχρι θανάτου, *anima hominis ad mortem usq; gignitur*, quô ipsô Hippocratem nihil aliud, quam *ſpiritus* intellexiſſe, autumamus. Sic poſſunt quoque cerebrum cum ſpiritibus animalibus vel *per ſe* præter naturam affici, non proficiſcente ſcil. malo ab alio quodam loco mandante, ſeu per πρωτοπάθειαν, interdum verò per δευτεροπάθειαν, ubi nempe nimis diu affecta fuerint συμπαθικῶς, ſeu per conſenſum. Nam vitium hoc à reliquo etiam corpore vel toto, vel parte quadam originem trahere poteſt: v. gr. à ventriculo, ab hypochondriis, liene, hepate, utero &c. malè conſtitutis, it. â febribus, aliisque cauſis pluribus.

Immediata cauſa memoriæ læſæ quærenda eſt in *ſpiritibus animalibus*, idearum, ſenſibus repræſentatarum, receptoribus, apportatoribus & exportatoribus, ut & animæ rationalis fideliſſimis miniſtris, cumque corpore internuntiis.

Spiritus hi animales vitiantur variè, nimirum quoad vel *quantitatem*, vel *qualitatem* vel *motum*; Requiritur ſcilicet ad hunc memorandi actum ſufficiens ſpirituum animalium copia, laudabilis eorum conſtitutio, & motus quietior, non perturbatus; Spiritibus enim hiſce contrariô modô ſe habentibus promtè ſe manifeſtat memoriæ læſio.

Peccant verò ſpiritus ratione *quantitatis* vel in *exceſſu*, vel *defectu*; Ex *abundantiâ* ſpirituum nimiâ e.g. ob immoderatiùs adſumta calidiora volatiliora, balſamica, quando ſpiritus copioſiùs gignuntur, & efferantur, ſicq; turbantur, facultates omnes, & mentem etiam turbari eſt quam notiſſimum. Hinc etiam ambra, quæ aliàs ſpiritus cunctos recreat, ex vino pota, ilico inebriat. Si *pauciores* adfuerint in cerebro ſpiritus, ut ubiq;, ita & in cerebro præter alia mala ſubſidentia contingere poteſt, ob quam ſpiritus in ordinato ſuo motu, qui ad memoriam neceſſario requiritur, impediuntur & interturbantur, ita ut cum vigore ſolito ſua munia in ſenſibus expediendis non adminiſtrare, tanquam in minus idoneâ officina poſſint, unde præter alia mala

ob-

oblivio quoque oritur. Senes naturâ memoriâ debili præditos eſſe ob ſpirituum paucitatem, noto notiùs eſt. Si ſpiritus ratione *qualitatis* acriores, vel calidiores, aut frigidiores, craſſiores, it. viſcidiores, aut fixiores, & quaſi coagulati fiunt; item ſi in motu impetuoſiores, agiliores & mobiliores exiſtunt, aut inordinati redduntur, quis dubitaverit, ideas rerum vel non, vel tardius, quàm par eſt, vel nimium rapidè & titubanter recipi? unde in ebriis & nimium iratis omnia quaſi in motu eſſe apparent; vel confuſe reddi, ob ſpiritus quaſi minùs inter ſe cohærentes, atque inconſtanter & inæqualiter motos, ob quem quoque perturbatum & confuſum ſpirituum motum, & modò in hos, modo in illos nervos excurſum, videmus perturbatos in hominibus motus, illosque nunc hoc, nunc illud fabulari, nunc abſurda fingere, varia recondita ex memoria confusè in medium proferre, ægrum nunc vacillare, nunc planè concidere, & plura alia mala inde oriri.

Si ullibi, certè ad memorandum moderatior ac *temperatior* ſpirituum motus requiritur, hinc eſt, quod, qui non attentè, ſed vagabundè, & curis aut meditationibus, vel aliis animi affectibus immerſi, rem memoriæ imprimendam intuentur, illam planè non, vel nimis tardè, & difficillime memoriæ imprimant, in eaque conſervent, ex hac cauſa quoque ægri & irati ægrè recordantur eorum, quæ ipſis, dum ita affecti fuere, acciderunt.

Cauſa *mediata proximior* aut eſt *ſanguis arterioſus* minùs ſpirituoſus, crudior, impurior, & viſcoſior, qui ad cerebrum perductus, partim memoriæ officinæ, h.e. cerebri temperiem, ejusque & ventriculorum bonam conſtitutionem lædit, infrigidando, implendo, obſtruendo, & loca, quæ ſpiritus animales libere peragrare debebant, occupando, ſicque curſum eorum intercipiendo; Partim ſpiritibus animalibus generandis materiam generationis ſuppeditat minus aptam, ac decentem, unde memoria neceſſario vacillare, minui, aut aboleri cogitur. Aut *vapores narcotici*, figentes, ligantes, irretientes, & quaſi ſpiritus coagulantes, ita

ut

ut illorum motus debitus impediatur, quaſi ſufflaminetur, vel ſupprimatur.

Inter cauſas mediatas *remotiores* primum locum occupant res *ſupra naturales*, ubi τὸ θεῖον occurrit, quale in Nebuchodonoſore contigit. Deinde etiam magna eſt diaboli δύναμις in hæc mundana, ubi Deus id permiſerit; Quemadmodum enim nemo facile potentiam phantaſmata varia excitandi, componendi & augendi diabolo denegaverit; ita quoque ipſum memoriam juvare & lædere poſſe, quis ibit inficias? cum medicamenta hoc efficere poſſint. Exemplum memoriæ talis legitur apud *Laërt. l. 8.* de vita Pythagoræ, de *Athalida* it. de *Apollonio Tianæo*, apud *Suidam*. in *Clerico Germano* apud *Fulgoſum l. 1. exempl. c. 6.* Plura videantur apud *P. Caſparum Schottum. Phyſ. curioſ. p. 114.*

Ex cauſis *naturalibus* ſunt *temperamentum* frigidius atq; humidius, nativum & adſcititium, quod præſupponit ſpiritus vel pauciores, vel minus vigoroſos, tonumque fibrarum maſſæ cerebri flaccidum, aut alias minus decenter ſe habentem, unde memoriæ officina producendis, parandisque ſpiritibus animalibus minus apta fit. Hujus exemplum præbent ſenes, qui magis oblivioſi ſunt ætatibus reliquis, it. infantes & pueri, qui ob nimiam humiditatem facilè rerum ſunt obliti: Hinc rectè ait *Hippocrates l. de inſan. t. 18.* fieri oblivionem perfrigerato cerebro à pituita; & *l. de ſtruct. hominis c. 3. t. 1.* oblivionem ex cerebri frigiditate procedere, aſſerit. Nam experientia teſtatur, excedente humoris pituitoſi in humano corpore copiâ, ſenſus omnes, tum externos, tum internos valde lædi, & memoriam tunc plerumque debilitari, quia nempe animales ſpiritus tunc impuriores, & minus elaſtici ſunt ad actiones animales. Nimiam cerebri intemperiem *calidam*, propter notabilem humidi defectum, ſpirituum acredinem, ac nimiam mobilitatem ignorantiæ obnoxiam eſſe, hiſtoria de *Androphalo* apud *Hippocratem de morb. vulg. 5.* docet. Spectat huc *diſpoſitio hæreditaria*, unde totæ familiæ ſæpiùs obliviosæ viſuntur, vid. *Senn. in prax. l. 1. p. 11. c. 5.* Porrò qui *acumina-*

minatæ nati ſunt *capite* & *faſtigiato*, memoria nõn pollere, ut vulgus notum eſt; Talis apud *Homerum Iliad.* β. *Therſites* deſcribitur. Quamvis autem hujus modi à parentibus contractum, & connatum malum non lethale ſit, incurabile tamen pleruṁque eſſe ſolet. Ratione *ſexus*, muliebrem præ virili magis obliviofum eſſe, ob reſpective frigidum & humidum temperamentum, cum medicis cenſet *Menoch. l. 6. præſumt. 45. n. 3.* cui alia adhuc ratio à quibusdam additur, quod nempe muliebre tum levitatis tum inconſtantiæ vitium memoriæ vim extinguat.

Cauſas, ſeu res *non naturales* quod concernit, facilè, ubi ſpiritus animalis natura cognita fuerit, *quæ* ex illis, & *quomodo* ad memoriam lædendam ſuum conferre poſſint ſymbolum, apparebit.

Indubitato ſcilicet ſtat talo, fluidum illud ex cerebro in nervos, *ſpiritus*, inquam, *animales ex particulis aëris ſubtiliſſimis, elaſticis, ſic& nobilioribus, ut & ex ipſius ſanguinis & ſeri alkalica, puriori, ſubtiliori, volatiliori & mobiliori portione generatos, conſtare*; Ubicunque igitur *aer* fuerit purior, & in victu aſſumentur, quæ ſanguinem laudabiliorem ſuppeditant, conſervabitur, corroborabitur, & augebitur ſpirituum ſubſtantia vigoroſa, ſanitas ſarta tecta permanebit, & modo alia organa benè ſe habeant, ſenſus, motus, & omnia legitimè, atq; ex voto fient. E contrà, ſi aer fuerit impurus, craſſus, denſus, nebuloſus, minusque elaſticus, imprimis verò *frigidus*, utpote qui nervis ſummè inimicus exiſtit, ſpirituum & cerebri conſtitutio valde lædentur, unde præter alia incommoda memoria quoque lædi ſolet; hanc etiam ob rationem *Mœbius*, ceu ſupra dictum, *Thraces* atque *Bœotos* obliviofos dixit, & *Horat.* de ſtolido quodam ita canit:

Bœotum in craſſo jurares aëre natum.

Quemadmodum ex adverſo *Athenienſes*, *teſte Galeno 6. Epid. 4.* beneficio aeris ſubtilis atque temperatius calidi maximè ſagaces & ingenioſi feruntur. Non ſolum autem nimis frigidus,

C ſed

ſed etiam nimis *calidus, ſiccus*, atq; humidus aer memoriæ læſionem inducunt, & *Ludovic. Mercatus l. 1. de morb. intern. cur. cap. 19.* ſoli memoriæ contingere, affirmat, ab omnibus quatuor intemperiebus lædi. Hûc quoque refertur ab autoribus accubatio ſub Lunæ radiis, imprimis non obtecto capite, & nudis pedibus per nives, aut lutum & aquam frigidam, aut paludes inceſſus, inprimis in non aſſuetis. Sic idem *Mercatus* annotavit, milites per montes nivoſos iter facientes, memoria orbatos fuiſſe. Pertinet huc quoque liberior in autumno, hyeme, & ventis auſtrinis, borealibus, frigidioribus & ſiccioribus, vel impetuoſioribus flantibus, capitis expoſitio.

In aſſumendo CIBO atque POTV *exceſſus* æque ac *defectus* memoriæ nocere poſſunt. Ex defectu ciborum pauciores generantur ſpiritus, qui cum poris cerebri facilè fatiſcunt, unde *Zacut. Luſitan.* ex inedia ac vigiliis, *Galenus* ex nimiis laboribus & tenui victu memoriæ læſionem vidit; Ab exceſſu autem ciborum, imprimis crudiorum, craſſorum, viſcidorum, infumatorum, nimis infrigidantium & humectantium, flatulentorum, aliorumque pravi, aut ad corruptionem proni ſucci, & difficilioris digeſtionis pravus chylus, & ex hoc impuri & ſylveſtres generantur ſpiritus, domeſticis valde noxii.

Dantur quoq; quæ virtute ſpecificâ memoriam lædere valent, ſic à *Foreſt. l. 10. obſ. 32.* accuſantur cepæ, quibus alii annumerant porrum, allium, raphanum. *Simplicius* quoque narrat, milites Antonini imperatoris, dum Parthos oppugnarent, amiſiſſe memoriam omnium, ob uſum cujusdam *herbæ*, quam deinde recuperarunt uſu poculi cujusdam, facti ex vino atque oleo commixtis. Et hic ipſe autor ad memoriam delendam *cicutam*, *mandagoram & papaver* inter cauſas memoriæ deperditæ refert, eò quod nimis frigida atque humida ſint.

Quæcunque igitur calorem vitalem paucum generant, aut eum obruunt, ſupprimunt, ſuffocant, cruditates, imprimis pituitoſam faciunt, relinquunt, & ſic temperiem cerebri & ſpirituum notabiliter mutare ſolent, illa memoriæ valde nocent.

Potus,

Potus largus & frequens, hincq; orta *ebrietas*, ut toti corpori, ita in ſpecie cerebro & ſpiritibus multa fert incommoda, hinc rectè *Plinius nat. hiſt. l. 4. c. 22.* ait, omnium ferè rerum, oblivionem, mortemque memoriæ ex nimio potu oriri. Ea tamen, quæ ex potu cereviſiæ provenit ebrietas, gravior plerumque cenſetur, quàm quæ ex vino; ideo, quòd vapores ex illâ multò crasſiores ad caput eleventur, & difficiliùs quoque diſcutiantur.

Venena quoq;, imprimis vegetabilia, virtute ſuâ acri, ♎eâ, peregrina, viſcosâ, vaporosâ, deleteria, irretiendo ſpiritus, turbando, ligando, intercipiendo, peſſundando, porosq; cerebri opplendo, & viasſpirituum præoccupando oblivionem inducere poſſunt; tale quid à *Circe ſociis Uliſſis* exhibitum creditur; ſic quoq; *Bamba Rex Gothorum* hauſtu veneni, ab aliquo ipſi exhibito memoriam amiſit: Idem de *philtris* & *narcoticorum* uſu ſiniſtro ſentiendum eſt. Cerebrum felis commeſtum memoriæ valdè nocivum eſſe, multi tradunt, idque confirmat *obſervatio ultima centuriarum Salmuthii.*

SOMNO exceſſivo humidum pituitoſum in toto corpore, & hinc etiam in cerebro cumulatur, unde frigida temperies oritur, ſpiritus inviſcantur, maximeq; torpidi evadunt, ut ad memoriam & actiones animales perficiendas ſint minùs apti. Hinc rectè ait *Cato*: *Otium minuit memoriam.* Otium autem & ſomnus ratione effectus valde conſpirant. *VIGILIIS* plus juſtô continuatis, ſpiritus nimis exagitantur, unde calor augetur, humidum naturale depaſcitur, & difflatur, ſicque ſiccius fit cerebrum, & ad memoriam ineptum, poſtea verò, diſſipatis ſpiritibus ob nimis continuatas vigilias, frigida capiti & corpori inducitur intemperies, quamobrem ad generationem ſpirituum inhabile fit cerebrum, ſpiritusq; pauci, torpidi, & ad memoriam, aliasq; actiones animales rite peragendas inepti evadunt. His annumerandæ veniunt lucubrationes poſt aſſumtum cibum ſtatim inchoatæ, & in multam noctem pesſimô more protractæ, quæ

eundem effectum præſtant, & ſæpiſſimè ex *ſtudeo*, *ſtudui*, formant ſupinum *ſtultum*.

Si quoque MOTU immodico ſpiritus magis, quàm par eſt, exagitantur, turbantur, rareſiunt & diſſipantur, eorum ſufficiens quantitas ad memoriæ officinam neceſſaria ſimul quoque abſumitur, *ſicq;* memoria, ut ſuperius diximus, læditur. *Galenus* quendam ruſticum *l.3. de loc. aff. c.5.* ex nimiis laboribus & exercitationibus, ut & ob tenuem victum *inquit*, amiſiſſe memoriam. Quod EXCERNENDA RETENTA, & RETINENDA EXCRETA concernit, ex lochiis retentis oblivionē & melancholiam in puerpura obſervavit *Salmuth. cent.1. obſ. 82.* ex hæmorrhoidum it. menſium aut ſuppreſſione, aut nimio fluxu, atq; hinc orta humorum ac ſpirituum in corpore deturpatione aut devaſtatione, memoriæ læſionem obſervarunt autores multi; imprimis autem *Venus* immoderata valdè memoriam lædit, quam ob cauſam etiam *Marſilius Ficinus l. de tuenda ſanit. c.7.* inter reliqua, quæ memoriæ nocent, pituitam, atram bilem, Venerem, ſatietatem & ſomnum matutinum præcipuos *ſtudioſorum* (utpote qui memoria præ aliis opus habent,) *hoſtes* declarat. Nam in κλινοπάλη ſpiritus animales acervatim cerebro detrahuntur ad partes genitales & ſubſtantialiter abſumuntur, unde ab illa nimis frequentata ſpiritus debilitantur, turbantur, nimium conſumuntur, & corpus, imprimis cerebrum, infrigidatur vehementisſimè.

Quod ANIMI PATHEMATA attinet, cùm omnes animi affectus & perturbationes vim ſuam exerant in *ſpiritus & humores*, illos aut nimis attenuando, rarefaciendo, reſolvendo, diſſipando, aut retrovocando, inprimis ut in terrore fit, ſubitò & confuſè, it. coagulando; hinc facile patet, quomodo curæ, triſtitiæ, mæror, terror ex inopinato caſu, memoriæ nocere poſſint, hinc frequentius dici ſolet â perterritis deſubitò: **Ich bin darüber erſchrocken, daß ichs alles vergeſſen habe.** Sic ex terrore *Artemidorum Grammaticum*, quod inopinatò crocodylum conſpexerat, literarum oblivionem cepiſſe; refert *Schenk. l.1. Obſ.*

Ob

Ob laborem in ſtudiis quendam memoriam penè amiſiſſe obſervavit *Galenus*, *de loc. aff. c. 5.* & *Trincavellus l. 1. conſ. 21.* Doctorem quendam ex nimio ſtudio frigidum & humidum factum, ac pituitâ in capite relictâ memoriam leviter læſam & diminutam accepiſſe tradit. Camerarium quendam Colbergenſem curis & animi mœrore aliquandiu affectum nullo præcedente, vel comitante morbô in magnam memoriæ imbecillitatem, imminutionemque incidiſſe obſervavit *Timæus à Guldenklee l. 1. caſ. Med. 11. p. 20.* Memoriam ex triſti & inopinato caſu obſervavit *Thonerus conſult. med. 2. l. 5.*

Cauſas *præternaturales* memoriam quoque lædere poſſe, quotidiana teſtatur experientia; *Galenus l. 3. de loc. aff.* cum vel periit, inquit, vel omnino graviter læſa eſt memoria, frigida tum intemperies eſt. Cephalalgias immanes, diuturniores, epilepſiam, apoplexiam, maniam, melancholiam, carum, phrenitidem, & in ſpecie lethargum, qui nomen ἀπὸ τῆς λήθης, ſeu ab oblivione trahit, it. febres acutas, malignas, in initio æque ac declinatione memoriam vel debilitatam, vel planè abolitam ſecum adportaſſe, aut reliquiſſe, paſſim legimus apud *Galenum*, *Foreſtum*, *Platerum*, *Schenkium* & alios. Peſtem juxta *Galenum l. 3. de differ. ſymtom. l. 2. de cauſ. ſymt.* hujus mali feraciſſimam eſſe, teſtatur Thucydides *l. 2.* videantur *prælectiones Marciæ Fabii Paulini Utinenſis*, ſupra citatæ.

Quæ unitatem capitis, ac in ſpecie cerebri notabiliter ſolvunt, cerebri maſſam, inque ea ventriculos, anfractus & ſpiritus conquaſſant, hos turbant, atq; in ſuo ordinario curſu nimium impediunt, ut ſunt vulnera profundiora, imprimis in Occipitio, it. fracturæ, concusſiones, contuſiones, lapſus & ſaltus ab alto, fuſtigationes crudeliores, ictus lapidibus aut ſimilibus ſolidis rebus, aliaque plura, memoriæ læſionem facilè inducere poſſunt; De quibus tum experientia quotidiana, tum etiam autores pluximas ſiſtunt obſervationes.

Malè hinc, imò peſſimè faciunt, enormiter conſcientiam

ſuam lædunt, inq; ſanitatem juventutis ſæviunt, & peccant in filios ſuos parentes, & in diſcipulos præceptores illi, qui ſæpè, ob leviſſimum etiam peccatillum, nuchas & occipitia puerorum pugnis compactis, it. libris aut baculis enormiter cædunt, vel etiam capillis capitis arreptis capita ipſorum concuſſant, re quaſi bene geſtâ hoc epiphonema addentes: Was du nicht lernen kanſt / will ich dir in den Kopf neinſchlagen! cùm tamen pueris ſapientiores eſſe, & ſcire deberent, hôc tyrannicô modô etiam ex optimis ſtupida reddi poſſe ingenia, & tenellam ætatem diſponi ad epilepſiam, vertiginem, apoplexiam, catarrhos & plura alia, etiam graviſſima mala, quandoque demum in ſenectute ſe prodentia; præterea non tantum in diſcendo, ſed etiam in docendo apprimè eſſe neceſſariam patientiam, & diligentiam in repetendo, tàm ex parte præceptoris, quam diſcipuli, quemadmodum enim

Gutta cavat lapidem non vi, ſed ſæpè cadendo,
Sic homo fit doctus non vi, ſed ſæpè legendo.

Prognoſin tandem ne plane intactam relinquamus, ſufficiat hìc indicaſſe, oblivionem à cauſa frigida & humida provenientem ſæpè apoplexiam & ſimilia mala prædicere, & ſi ſpiritus & vires fatiſcant, imprimis in provectiori ætate lethalem eſſe. *Hippocr. in Coac.* dicit: Quæ à rigore incidit ignoratio, mala eſt, oblivio it. mala, potiſſimum vero timenda eſt, cum firmiter fixa. *Galenus* monſtrum eſt, dicebat oblivionem frequenter de exitialibus eſſe ſignis; ſed animadvertendum eſt, cum quis puſillo eſt capite, aut inconcinno, cùm ex natura obliviosus ſit, ſi acuto morbo corripiatur, oblivionem minime eſſe dicendam ſimpliciter & abſolute de exitialibus ſignis. Oblivio quæ radices diu egit, & ab inſigni cerebri læſione & malâ conformatione, it. ab hereditaria diſpoſitione oritur, incurabilis eſt. Oblivio à caliditate & ſiccitate difficilior eſt curatu, quam quæ fit à frigiditate & humiditate.

CAP.

CAPUT III.

DE MNEMOCEPHALICORUM, SEU MEMORIAM CONFORTANTIUM NATURA:

Acturi in hoc capite de remediis memoriam juvantibus, ſeu CURA MEMORIÆ LÆSÆ, ante omnia obſervamus, *Medicum* ſæpè hîc ſimul debere eſſe *Ethicum*, & emendare animæ errata & vitia bonis conſiliis, perſvaſionibus, & exhortationibus, ut nempe patiens curas, mæſtitiam, aliaque animi pathemata graviora, ac frequentiora relinquat, attentiori verò rerum contemplationi, & quaſi admirationi; (quia, quæ admiramur citius in memoriam recipimus & retinemus,) ſe aſſuefaciat, nec oſcitanter ac percurſoriè ſaltim res memorandas adſpiciat, ſed aliquoties eas, non tamen plures & diverſas ſimul, accuratè intueatur, circumſtantias rerum perpendat, & omnia curatè repetat, & recolat, ſine quibus difficilè & propè impoſſibile eſt, aliquid benè meminiſſe.

Hiſce, ubi convenit, præmiſſis, progrediendum ipſi ad reliquam curam, ubi noſſe neceſſum habet *appropriata*, quæ nempe memoriæ ſpecificè attribuuntur, & communiter vocari ſolent *Memoriam confortantia*, ſeu *mnemocephalica*, ἀπὸ τῆς μνήμης *memoria*, καὶ τοῦ κεφαλικοῦ *capitalis*, unde etiam capiti dicata medicamenta medicis vocantur *Cephalica*.

Diximus in antecedentibus, memoriæ cauſam immediatam quærendam eſſe in vitio ſpirituum animalium, non neglecta cerebri intemperie; quæcunque ergò ſpirituum vigorem con-

ſervant, decenter roborant, & augent, intemperiemq; capitis, memoriæ noxiam corrigunt; ea memoriæ auxilium ferunt, & nominari merentur *mnemocephalica*.

Cephalica hæc quoad *differentiam* ſpecificam ſunt vel temperatè *calida*, vel *frigida*, illa calorem debitè conſervando & augendo, intemperiemq; frigidam corrigendo; hæc refringendo, & ſiccitatem moderando magis conducuut. Dividuntur porrò in *volatilia*, *fixa* atque *media*, *externa*, it. & *interna*.

De Mnemocephalicis ſæpè laudatus noſter *Wedelius* in ſpecie ita ſcribit *Amœn. mat. med. pag. 122.* Cùm communiter apud ſtudioſos hoc problema & poſtulatum agitetur, in genere hoc loco ſciendum, memoriam habitare *in ſicco*, & dari quædam medicamenta, quæ ſerum nimium, oblivionis parentem, abſumunt, & temperiem aliam inducunt. Ex quibus ſatis elucet, qualia debeant eſſe mnemocephalica, ſcilicet *moderatè calida* atque *ſicca*, humidum, frigidumve in cerebro exceſſivum, utpote memoriæ valdè nocivum, temperantia & corrigentia. In ſtatu tamen ſicciori etiam modicè *humectantia* laudem ſuam invenire, oppidò ex dictis elucet.

Cenſemus itaque, mnemocephalica magis ad *mediorum* cephalicorum, ex volatilibus & fixis temperatorum claſſem pertinere, propiùs tamen volatilibus accedere.

Memoriam juvantium medicamentorum & auxiliorum MATERIAM quòd concernit, eam ex FONTE TRIPLICI petimus:

(1.) PHARMACEVTICO, qui agnoſcit *tria regna*, ex quibus primo adducemus SIMPLICIORA ea, quæ ab auctoribus magis æſtimata, & commendata invenimus. Ex VEGETABILI præ reliquis laudari ſolent: RAD. calam. arom. caryoph. irid. Flor. pœon. zedoar. HERB. lavend. ſpicænard. beton. meliſs. chamædr. chmæpyt. majoran. mari veri, baſil. ſalv. ſerpill. puleg. ocymi tabac. thee & roſmarini, quæ planta egregii in memoria confortanda uſus eſt, Videatur *Rod. à Fonſeca conſult. med. 93. p. 544.*

FLOR.

FLOR. anthos, ſtœchad. Arab. beton. lil. convall. primul. ver. & in ſpecie lavendul. ac ſpic. nard. FRVCTVS myrobal. condit. SEMINA coriandr. anacard. baſil. pœon. ſinap. cardamom. Huc referre lubet AROMATA, quæ juxta ſæpè laudatum *VVedelium* pleraq; ſunt cephalica; præ cæteris tamen coronam depor- tant cubebæ, grana paradys. ſchænanth. piper. long. nux. moſc. carioph. LIGN. Saſſafr. ſanct. aloes. Rhodii. cinamomum ex com- mendatione *Ioh. Riolani de morb. cerebr. c. 6. p. 229.* RESIN. v. gr. Thus elect. in granis, cujus tria aut quinque grana, ter in die, manè ſcilicet, veſperi, & ante itum in lectum deglutita, mirum quantum, cæteris tamen paribus, hoc eſt, ſervando bonam di- ætam, memoriam atque ingenium acuunt; idem præſtant grà- na *maſtichis*, aut, ſi quis mane granum unum vel alterum thuris & maſtichis electi ſimul in ore detentum tardè maſticet, & interea an- helitū interdū ad ſe trahat; ſic enim, imprimis ubi duæ vel tres cube- bæ, aut cardamomi grana aliquot addita fuerint, & ſimul maſticen- tur cerebrum, ipſiusq; incolæ ſpiritus egregie foventur, recreantur, purificantur & exaltantur, ut alacriores & vegetiores vapores colle- ctos diſplodant, animæq; miniſteriū, imprimis in ſenſibus exercen- dis vigoroſius exſeqvantur. Tabacum & maſtichen in ore detenta loco maſticatorii nonnulli commendant; ſed cum multi ab- horreant tabacum, alii inde lipothymiam & vomitum incur- rant, præterea anhelitus fœtidus excitetur, dentesque colore ni- gro, lurido deturpentur, ſaltim adſcribere hæc ab aliis commen- data, voluimus.

Ex ANIMALI commendantur caſtoreum, moschus, formicæ, fel perdicis, cerebrum gallin, ebur. corn. cerv. ungul. alc. pes ta- xi. *Dominicus Leonus art. med. l. 2. ſ. p. cap. 7. p. 159.* dicit, non- nullos ſcribere, exploratum eſſe, quod lingua upupæ ſuſpenſa ſuper patientem obliviosſum, revocet ipſum ad bonam memori- am & bonum intellectum; alii commendant cum *Gratarolo* caput ac linguam upupæ appenſam. Cor hirundinis adhuc palpitans devoratum, ad memoriam & intelligentiam conferre ſcribit *Fer-*

nel. de abdit. rerum cauſ. c.17. pag. 130. Alii alia varia, ut medicamenta & amuleta uſurpata commendant.

Ex MINERALI cinab. Hung. & ♁nii ſunt, it. corall. ☽. ſmaragd. or. amethyſt. lap. beryll. & hinc fragm. lap. 5. pretioſ; quibus annumerari poſſunt *Aquæ* Badenſes, Carolinæ, Toplicæ, Wildbadenſes, &c de quibus vid. *Joh. Bauhin. hiſt. admirab. font. Bollens. l.3. c.17. p.199.*

Quamvis autem negare nolimus, quædam ex hactenus enumeratis *manifeſtis*, quædam nobis *nondum ſatis cognitis*, autorum tamen experientia comprobatis qualitatibus memoriæ opem ferre poſſe, quemadmodum inter alia v. gr. fel perdicis à *Simone Sethi* & Ulyſſe Aldrovando, temporibus quotidie inunctum, commendatur. it. amuletum ex upupa &c. parum tamen augmenti ſpiritibus ex his accedere puto, & in confidentia plurimum poſitum eſſe reor. Ex dictis, aliisque pluribus cephalicis paſſim ab authoribus annotatis variæ, poſſunt concinnari medicamentorum formulæ.

COMPOSITA ab autoribus ad memoriam plurima commendantur; Nos in gratiam, & ad juſſum amici cujusdam aliqua ex multis, ſed ſaltim pauca, & forſan potiora nominabimus:

AQVA LAVENDVL. COMPOS. Cujus deſcriptio legitur apud. *Schrad. in Pharmacop. p.m. 145.* MAGNANIM. Cum ſpecieb. anacard. parat. *ibid.* vid. quoque *Hartm. in prax. chym. p.m. 51.* HÆDER. ARBOR. ter deſtill. quâ fricanda calidè nucha & occiput, vid. *Foreſt. obſ. medic. l. 10. obſ. 32. de memor. detrimento.* MIRABILIS, apud *Hoffmann. in theſaur. pharmac. p. m. 16.* correct. ſenio confectos quaſi rejuveneſcere faciens. Ad MEMORIAM VIDI VIDII *curat. l.2. c.11.* quæ naribus attracta cerebrum mirè confortare, & oblivioni adverſari dicitur. DE XYLOALOE MYNSICHT. in *Armam. med. p. 289.* in confortanda memoria famigerabilis. AD MEMORIAM præſtantisſima, DEI DONVM dicta, cujus autor *B. Rolfinck.* fertur, eſt ſeqq. ℞ ▽ beton. bugloſſ. fl. til. ana ℔j. Fl. anthos, roſar. rubr. bugloſ. ana mj. ſpec. conf. kerm. ℥ij. Infund. flor. parum contu-

ſos

ſos in aquis prædictis eô, quô colligi ſolent tempore, inſolentur per menſem, & tunc adornetur deſtillatio ex cucurb. Dos. omni manè cochl. ij. eâdemq; aquâ ungantur nucha atq; tempora. SOPHORVM DORNCRELL. & MYNSICHT. non ignota. Ad MEMOR. STOKKER. deſcript. in *pr. morb. part. c.3. p. 303. & 408.* it.

LIQVOR CEPHAL. Ejusd. *p. 332.* intellectum mirè acuens, amiſſamq; memoriam reparans. CEPHAL. WEDEL. ex ☉u lil. convall. & ſalis ♓ ci. egregius. LVNÆ cujus præparationem vid. apud *Hartm. in prax. chym. p. m. 29.* tanquam principale, probatiſſimum ac certiſſimum memoriam juvandi remedium laudatur.

DECOCT. CEPHAL. MICHAEL. *in prax. p. m. 740.* CONTRA OBLIVIONEM *Paracelſi.*

SPIR. CEREBRI HVMANI BARTHOLETO ſecretus, CEPHAL. MICHAEL. *in prax. p. m. 740.* MAGNANIM. LAVREMBERGII compos: qui debitô modô atque tempore adhibitus, plus, quam humanam memoriam conciliare dicitur, eſt ſeqq. ℞. Spir. Vini opt. vel quoque malvatici q. ſ. in hoc macera per 14. dies herb. baſil. major. ſalv. meliſſ. ana mj. Flor. borrag. ſalv. primul. ver. roſmar. ana pj. & quando debitô modo macerata, deſtilla ſuper alembium: Hinc menſe Junio circa ſolſtitium quære formicas ovis carentes nigras, acidum ſpirantes, majuſculas, & habeas ad manus vas vitreum latioris orificii, cui infunde quartam partem menſuræ ſpiritus jam deſcripti, & videbis protinus adſcendere formicas, inque vas illud irrepere, harum collige circiter manupulos iv. vj. bacillo ligneo probè commove, ut omnes ſoffocentur; tandem ſpiritum reliquum adhuc affunde, expone radiis ſolaribus per 14. dies, hinc elice ſpiritum, eique adde conf. anacard. cinamom. ana ℥j. croci ʒß moſch. gr. XII. M. Doſis cochlear. jejunô ſtomachô in bono, boni vini hauſtu ſumatur, per 3. l. 4. dies, hoc iteretur aliquoties in anno V. Ephim Germ. Anno 3.

TINCT. LVNÆ, vid. *Agricol. comm. in tract. de ☽ p. m. 136.*

quæ cum ſpiritu aliquo appropriato v. gr. cerebri human. vel cephal. Mich. parata, memoriam egregie roborat. HYPERIC. MYNS. *in Armam.med.p.m.49.* hoc caſu valdè proficua.

ELIX. CEPHAL. WEDEL. in *amœn.mat.med. pag.m.121.* MEMORIAM CONFORT. PEVCERI. CEPHAL. ROLFINC. in *Chym.p.m.230.*

ESSENTIA AMBRÆ in forma *humida* atque *ſicca* (i.e. cum ſacharo parata) commendatur à magnif. *Wedel.* ob virtutem balſamicam, ſpiritus mirè demulcentem. It. *vid. Faber. in myrothec.ſpagyr.l.1.c.26,* ubi ſcribit: Quintam eſſentiam ambr. moſchi atq; Zibethi ſenſus omnes, imprimis verò memoriam, intellectum ac cerebrum adeo roborare, ut ab omnibus affectibus capitis frigidis præſervetur.

CONFECT. ANACARD. quæ nonnullis *confectio ſapientum*, Hoffmanno autem *ſtultorum* audit, ob virtutem ſcilicet exſiccandi, quam posſidet, ſummam, ſed à nobis ejusdem uſus legitimus laudatur, abuſus culpatur, vid. *Sennert. in prax. l. 1.c.5.* de memoria læſa. CEPHALICA MYNS. *p.m. 215. in Armam. med.* quæ egregie humiditates cerebri exſiccat.

ELECTVAR. CONTRA MEMORIÆ debilitatem *Rolf. O.& M. med.comm.ſpec.l.7.ſ.1.c.9.p.635.* CONTRA MEMORIAM DIMINVTAM *Foreſt.ibid.p.636.* inſtar ſingularis experiment. MEMORIAM CONFORTANS MICHAEL. *in prax. p.m.71.* & 656. CEPHAL. WEDEL. in *tract. de medicam.compoſ.extemp.p.m.52.* CEPHAL. TIMÆI à GVLDENKLEE l.c. *pag.420.* VALESCI de TARANTA *philon. pharmac. l.1.c.20.p.m.79.* deſcriptum, quod commendatur prodeſſe cerebro, facultati animali, ſenſibus, memoriæ, atque concoctioni, dicitur facere ſpeculari res altas & ſubtiles.

BALSAM. MNEMO CEPHAL. SCHROED. *in Pharm.p.m.160.* cui tantam efficaciam adſcribunt, ut perpetuam rei memoriam pariat, vid. quoque *Sennert.in prax. l.1.p.2.c.5.* AD MEMOR. MYNS. in *Armam. med. 474.* in illa tàm confortanda,

quàm

quàm reſtauranda ſecretum. AD MEMORIAM SECRETVM MICHAEL. VITÆ apud HOFFMANN. *in theſaur. pharm. p. m.* 32. cum ambr. & moſch. egregium.

VNGVENT. GRATAROL. ad ingenium & memoriam probatisſimum, in *Tract. de memor. conſerv. c.5.* cujus baſis eſt pinguedo urſi ex ſpatula dextra. AD MEMORIM ZAC. LVSITANI de *med. pract. hiſtor. tom.1. l.1. hiſt 143. de memor. amiſſ.* propè divinum remedium. MEMORIAM mirè CONFORTANS FRANC. HILDESHEIMII in *ſpicileg. 3. p. m. 313. & 336.* AD MEMORIAM LAVREMBERG. *vid. Michael. prax. p. m. 72.* ad MEMORIAM præſtantisſimum Gr. RONDELITII *l. 1. meth. cur. morb. c.2.* Ex conf. anacard. Theriaca in ▽ vitæ ſolut. Celebre ad memoriam STOKKERI *in prax. morbor. part. c.* 3. MEMORIAM MIRE CONFORTANS. *Vidi Vidii l. 2. c. 11.*

PULV. *contra memoriam* deperditam TRITHEMII, cujus deſcriptio apud *Hoffmann. in prax. chym. p.* 50. ADMIRAB. *ad memoriam* EVSTACH. *Rhudii art. med. l. c. 5.* Ad MEMOR. GRATAROLI *in tract de memor.* Ad *memor.* EXPERTVS *Valeſc. de Tarant. in prax.*

PILVL. CEPHAL. MYNS. *in armam. med.* quæ ſenſim omnes pituitoſos humores ex capite expurgant. Cerebro languenti maxime convenientes GRATAROL. *in tract. de memor.* PESTILENT. COMP. SCROED. in *pharm. pag. m.* 158. memoriam maximè roborantes.

OLEVM *ad memoriã* SECRETVM HOCHSTETTERI, quô adhibitô eô, quô decet, modô, omnia dicta, lecta & facta retineri dicitur, quod ex communicatione cujusdam, qui id diu habuit tan quam ſummum arcanum, apponam ℞. Flor. Roſmar. borrag. ſtœchad. ar. cham. violar. Fol. lauri, major. ſalv. ana mij. Omnia piſtata macerentur in vino generoſo per dies 5. hinc in deſtillatione addantur terebinth. opt. ℔j. ſachari fin. ℥viij. thuris ℥j. maſtich. myrrh. bdellii ana ℥ß. poſt dies 5 iterum deſtilla, deſtillato adde nuc. moſch. caryoph. cubeb. macis, cardam. L. aloes aa. ℥j. moſch. ambr. ana ℈iij. hinc infundantur per dies 5. alios, &

tunc

eunc adornetur deſtillatio per lentum ignem, usque dum prodirit *Aqua* fragrantisſima, tunc ignem augendo habebis oleum, cum quo unges nucham & tempora. *Vtendi modus* in deſcriptione mihi communicatus verbotenus eſt hic: abſtineas ab omni luxurie, malis cogitationibus, & à rebus duræ digeſtionis, adhibendum imprimis poſt feſtum Michaelis quando iturus es cubitum, per 40. dies, quo dicta loca omni ſerâ ungantur, mane verò omni recipias granum thuris maſculi opt. deglutiendo ipſum, omnique annô, eôdem tempore hoc repetas. *Oleum Myrrhæ* temporibus & occipiti inunctum, in memoriæ defectu commendatur. *Horſtius de tuenda ſanitate op. tom. 3. p. 195.* ſic conficit: Coque ovum ad duritiem, vitellum exime, & cavitatem imple myrrha pulveriſ, ſic reſolvetur myrrha in oleum, quod in cella ſervabis ſub arena.

Quibus recenſitis adhûc alia quædam facile adjungi poſſent, ſed nolumus eſſe in his recenſendis prolixiores, ne Benevolo Lectori forſan moleſtiam creemus.

Expoſitis nunc ex fonte pharmacevtico quibusdam ſimplicibus atq; compoſitis, reſtat, ut quoque pauca ex CHIRVRGICO & DIÆTETICO, huc facientia, allegemus.

Ex CHIRVRGICO verò ſe primò ſiſtit VENÆ SECTIO, quæ directe in hoc affectu nō indicatur; ſi tamē plethora adſit, ſauguisque revellendus & evacuandus veniat, eam admittimus; legi de his poſſunt ſæpè citatus *Gratarol. in tract. de memor. it. Mart. Ruland. in curat. empir. 100. it. in tract. de phlebot.* Ubi intemperies frigida, cum ſiccitate conjuncta, & hinc ſpirituum inopia adeſt, omninò omittenda venit.

CVCVRBITVLÆ tùm evacuando, tum revellendo proſunt, quatenus ſcapulis, brachiis, etiam bregmati applicatæ, humores à capite ſuperfluos revocant atque educunt; Hinc *Galen. lib. 3. de loc. aff. c. 4.* pro memoriâ excitanda eas capiti applicare docet; Ut quoque materia peccans [à] parte nobiliori ad ignobiliorem deducatur, citatus *Galen. l. 4.* affecto capite crura ſcarificat, unde quoq; cucurbitulæ venæ ſectionis vicariæ ipſi audiunt.

CAV-

CAVTERIA, imprimis *actualia* laude ſua non carent; locis tamen diverſis applicari ſolent ab autoribus; quæ prope ſuturas capitis applicantur, calore ſuo actuali humores ſtagnantes expedire, eosque fluxiles reddere legimus apud *Aurel. Sever. pyrotechn.chirurg.l.2.p.1.c.10.it. Rolfinc. in O.& M. med. comm. ſpec.p.m.413.it.421. Dominicus Leonus art. med. l.2.ſ.1.c.7.p.159.* ſi morbus chronicus factus fuerit, inuratur, inquit, cauterium in nucha, penetrando usque ad os, ubi caput ipſi collo connectitur. *Epiphanius Ferdinandus hiſt. 47.* Deum teſtatur cauteriis ad loca ſuturarum applicatis unâ vice pluribus, ex memoria abolita ægros, aliosque planè ſtolidos curatos fuiſſe. *Solenander ſect. 2.conſil. med. 8.p.126.* de cucurbitulis ita loquitur: Etſi ſuſpectæ ſint, quod earum uſu memoria labefactetur; tamen cucurbitularum reiteratum uſum magis probarem (ſcil.venæſectione (ſi ſcapulis & brachiis adhiberentur, ſeu cum ſcarificatione, ſeu leves, ſine eâ quandoque admoverentur. Nam, cum memoria ſiccitate gaudeat, cucurbitulis verò ſuperfluus humor à capite revellendo deducatur, veriſimile eſt, iſtarum uſu memoriam vegetiorem fieri, ſaltim non imminui aut labefactari. Certum eſt, pergit, ſtultitiæ tantum quemque habere, quantum habet humiditatis (ſine dubio, ſuperfluæ,) in capite; ſic acrimoniæ ingenii tantum quemque habere, quantum ſiccitatis, niſi terminos ſiccitas excedat, & exorbitet. Hinc eſt, quod *Itali* de homine prudente & circumſpecto dicunt: *Il ha una teſta ſecca.* Huc usque Solenander. Exemplum *Clementis Sixti pontificis Romani*, qui ictu, vulnereque in capite accepto memoriam ſibi potentem & invictam, longeque illuſtriorem redditam, quam cæteris hominibus eſſet, adquiſivit, ſicuti apud *Franciſcum Petrarcham*, qui tum in vivis erat, *l.1.rerum memorandarum* legitur, indicare videtur *trepanationem, & ſanguinis miſſionem* debitô modô, temporе & locô inſtituta, non contemnenda eſſe auxilia.

INVSTIONES leves poſt aures, & in occipitio inſtitutæ, quæ vocantur cauteriorum ſuccedanea, v. *Rolf. O.& M.comm ſpec.*

in humida atque frigida cerebri intemperie commendantur v.gr. cochlear argenteum carbonibus igneis impletum, vel ferrum preſſorium, quo lavatrices utuntur **Biegel-Eiſen**/ ferè cande-factum ad ductum ſuturæ coronalis & ſagittalis in capite, ſubſtratâ chartâ bibula quantum ſufficit, hûc illûc trahendum, *Foreſt. l.10. Obſ.33.p.336.* ait: Præceptor meus *Benedictus Faventinus*, ſi alia non juvarent, uſtionem ferri commendabat, & ad balnea naturalia mittebat.

SETACEA, quæ cum fonticulis mirum in modum ſymbolizant, unde *B. Rolfincio* fonticuli duplices dicuntur, juxta laudatum virum in affectibus capitis plurimis conducunt: adhibentur ſcilicet nuchæ inter ſecundam & tertiam colli vertebram, unde ſerum ſuperfluum potenter ex capite proliciunt, & ſic cerebrum ab intemperie humida, memoriæ noxia vindicant.

FONTICVLI juxta *Mercatum* omnem abſolvunt paginam, hosque, aliis nihil juvantibus, cum fructu applicat; corpus enim cacochymicum à ſero oneroſo ſucceſſivè evacuant, hincque virtute ſuâ exſiccante etiam ipſi capiti proſpiciunt; in malo tamen chronico magis conveniunt, poſſuntque in brachiis vel cruribus excitari, in domeſtica vel ſylveſtri latere, prout patienti & medico ratum & gratum videbitur.

VESICATORIA quoq; non indicta abeant; inſtituuntur verò præprimis in vertice & nucha, ubi ſerum ex capite attrahunt.

Tacemus alia inſenſibilius evacuantia, qualia ſunt *Pectinationes validæ, frictiones fortiores nuchæ & occipitis*, quas cum aquâ aliquâ cephalicâ commendat *Foreſt. l.c.p.357.* Rubificantia, cucurbitulæ ſiccæ ſpatulis affixæ, & alia, quæ tranſpirationem inſenſibilem juvando affluxum humorum cohibendo, & divertendo alias adhiberi ſolent, omninò hûc quoq: faciunt.

Quæ tamen omnia pro circumſtantiarum & cauſarum diverſitate debitô modô ac tempore applicanda, & hinc prudentis medici judicio practico relinquenda ſunt. Non enim omnia

omni-

omnibus conveniunt, ſed prout cauſæ variant, ita & ipſa curatio varianda eſt.

DIÆTAM bonam & accuratam plurimum quoque valere ad memoriæ tam conſervationem, quam reparationem, nemo facile negabit. Et, ſi quis, ait *Foreſtus l.10. obſ. 33. 357.* ob extremam ſenectutem memoriæ detrimentum patiatur, ſolo victu medicandus eſt. Quod ſi aliis medicationis inſtrumentis decrepitum quis medicaretur, mortem ipſi induceret. Sic, quæ ſequitur ſuperfluas purgationes, ac immoderatas inanitiones vel alvi dejectiones, curatur ſolâ victûs ratione congrua & refectoria. *Aër* hinc ex calido & ſicco ſit benè moderatus, purus atque ſerenus, & ſi talis non detur, arte corrigendus venit, nempe ſuffimigiis, vel etiam mutatione loci, ſi nimis ſiccus & calidus, aquis & floribus odoratis in pavimentum conſperſis corrigatur.

Cibi ſint non craſſi, infumati, viſcidi, acidi, ſalſi, ſed potius γλυχροὶ, ἔυχυμοι καὶ ἐύπεπτοι, i.e. ſucci laudabilis, & facilioris digeſtionis, convenientibus aromatibus, ut caryophillis, nuce moſchata, cardamom. &c. ſed non nimis larga manu conditi.

Gallinarum cerebrum in memoria læſa commeſtum valdè commendatur, & adeò juvare ſcribit *Cardanus*, ut aliquos, qui delirare cœperint, reſipiſcere fecerit. Sed non cujuslibet marſupium tales expenſas facere poteſt, imprimis in re adhuc non adeo certa; convenientius igitur erit, tanta ac talia ventriculo ingerere, quanta ac qualia conducunt, ipſeque concoquere poteſt. Præterea quoque certum ac conveniens cibandi tempus obſervandum, & imprimis manè nil comedendum, præter juſculum, aut parum panis, vel aliquid ſimile. Locum hîc habet illud vulgatum: *Plenus venter, non ſtudet libenter.* A carne ſuilla, ſalita, anatibus & anſeribus, it. leguminibus, braſſica, papaverinis, fructibus horariis, & quæcunque vaporoſa ſunt, aut flatulenta, ut ſunt caſtaneæ, nuces avellanæ abſtineat patiens.

Potus ſit modicus ac medicus, purus putus, bene defecatus, non vaporoſus, non turbulentus, hinc aqua pro cereviſia paran-

da non ſit cruda. Poteſt quoque *cerevifia* in urceo reddi quaſi medicata, quando ipſi fruſtum panis toſtum nuce moſchatâ benè tritum interdum injicitur, proſunt quoque cereviſiæ cum ſalvia, meliſſ. card. ben. calam. & aliis medicatæ. *Vinum* ſit equidem COS, & generoſum, ſed ne ſpiritus nimis rarefaciat, optime aquâ pura temperabitur: utinam in his noſtris terris tàm commodè imitari poſſemus Italos in parando *vin picciolo*, quod eruditis commodiorem potum ſine dubio præberet, quam ſolent noſtra minus correcta ingurgita vina. Imprimis verò non ſit acidum, quia ſpiritus nimium figit ac concentrat; uſus vini boni legitimus omninò memoriam juvat, abuſus verò, unde ebrietas exiſtit juxta *Plinium* mors eſt, atque peſtis ipſius; unde non incongruè hûc referimus, quod *Cyrus* apud Xenophontem ait: *Vino venenum eſſe immixtum.* Poſſunt quoque fieri & moderatè bibi *vina medicata*, quale eſt vinum flor. convall, anthoſatum, ozymi, cariophyllatum, ſalviatum, vinum cephalicum *Jac. Sylvii*, Allioticum, cephalicum Hotheum, anacardinum, aliaque plura, de quibus, & eorum modo componendi, vid. *D. Nic. Balthaſ. Merz in œnopoliopolypharmaco c. 14. p. 39. &c.*

Somnus ſit ſufficiens pro conſtitutione temperamenti patientis, non tamen exceſſivus, ille ciborum coctionem ac diſtributionem adjuvat, ſpiritusque roborat; hic verò cumulare facit humores excrementios, & quia eos non diſſipat, ſpiritusque ventilat, & ſic torpidiores fiunt, ſtatus humidior corpori inducitur, qui memoriæ magnam noxam infert: rectè dicunt Germani: Man ſchläfft ſich faul.

Vigiliæ & lucubrationes ſint moderatæ, alias ſpiritus imprimis animales valde agitantur, feroces fiunt, aut diſſipantur, & debilitantur, ex quo deinde varii affectus tàm calidi, quam frigidi & humidi exſurgunt, & memoria facile lædi poteſt, hinc recte dicitur: attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes. Et Germani dicunt: Er hat ſich zum Narren ſtudiret.

Motus & *quies* eodem modo ſe habeant; corpus enim nimiis

nimiis exercitiis nec urgeatur, nec diuturniori otio exponatur; Quisque enim toto die

Cernit, ut ignavum corrumpant otia corpus,
Vt capiant vitium, ni moveantur aquæ.

Et contra

Quod caret alternâ requie, durabile non eſt.

Excernendis viæ ſint liberæ, & aſſumtis reſpondeant, alias maſſa ſanguinea excrementis ac impuritatibus conſpurcatur. Venus ſit parca, in non maritatis piis & caſtis cogitationibus quaſi demulcenda & avertenda, in maritatis verò non planè omittenda; moderata enim ſpiritus blande excitat, ſed frequentior corpus omnibus viribus depauperat atque enervat, & ſic quoque ſecundum naturam *retinenda* legitime ſe ſe habeant.

Animi pathemata quod attinet, *ira* & *gaudium*, utpote ſpiritus excitantia interdum hoc in caſu locô remedii ſunt, nempe in intemperie frigida atque humida. Quæ vero ſpiritus & ſanguinem condenſant ac concentrant magis, v.g. *Timor, metus, triſtitia & curæ* frequentiores & diutius continuatæ planè exulent.

Cœterum cùm *Cicero* rectè dicat: Obliviosum eſſe, non tàm ſenectutis eſſe vitium quàm ignaviæ, ſomniculoſæque ſenectutis; hinc ad memoriam excolendam, & in ſuo vigore conſervandam exercitatione opus eſt, Pythagoreorum more, qui, quod quoque die dixerant, audiverant, egerant, repetere veſperi ſolebant. Facile enim eorum recordamur, de quibus ſæpe cogitamus, & quorum amore tenemur, ſicuti non facile ſenes obliviſcuntur vel creditorum, vel quô locô theſaurum reſpoſuerint. Et *Foreſt. l.10. obſ.33.p.356. in ſchol.* ait: Nihil æque aut cura augetur, aut negligentia intercidit, ac ipſa memoria, quam niſi excolas & jugi meditatione exerceas, inertia ac ſitu corrumpitur. Plura qui de diæta ad memoriam ſartam tectam ſervandam & reparandam legere cupit, conſulat *Gratarol. Marſil. Ficin.* & alios ſupra commemoratos.

De *memoria artificiali* ſeu locali hîc aliquid dicere non eſt noſtri propoſiti, cum medicamentis magis, quàm imaginibus ac figuris iſtam curare medico incumbat. Non negamus tamen memoriam artificialem, quæ conſiſtit in imaginibus, picturis, figuris, characteribus & multis aliis diverſis, unde *à Gratarolo in tractat. de memor. definitur*, quod ſit diſpoſitio imaginaria, non inutilem eſſe, ſed, ut videtur, phantaſiam expeditam, juſtum ordinandi modum, & adſvetudinem requirit; novimus, qui nullo modo memoriæ artificiali aſſueſcere potuerunt, alios qui huic aſſueti, in ſenectute nimium debili memoria inſtructi fuerunt, idque ſolum artificiali memoriæ, cui ſe in juventute nimium aſſueverant adſcripſerunt.

CAPVT IV.

De MNEMOCEPHALICORVM VSV ET ABVSV.

CVm non ignotum ſit, omnem morborum curationem abſolvi duobus, recta ſcilicet methodo medendi, & ipſis auxiliis, ex triplici fonte uſitato petendis; hinc explicata in capite præcedenti auxiliorum memoriæ proſpicientiũ materia, natura ac qvalitatibus, jam reſtat, ut ipſam MEDENDI METHODVM auxiliorumq; uſum & abuſum, ſed breviſſime luſtremus.

Prout ergò in aliis, ita & in hoc affectu *ſpeciali curæ* præmitti debent *univerſalia*, humores crudos, pituitoſos, viſcidos, acidos; verbo, vitioſos præparantia, hincq; ſuperfluos tàm ex toto

corpo-

corpore, quàm ipſo capite eliminantia. Non negligenda ergò hîc quoque ſunt *lenientia*, *præparantia*, *emetica*, *purgantia*, *diuretica*, *diaphoretica*, *ſternutatoria*, *maſticatoria*, *apoblegmatizonta*, & alia, in capitis affectibus gravibus & catarrhalibus commendari ſolita: licet enim non ubique omnia conveniant, pro exigentia tamen affectus & circumſtantiarum judicium medici practicum, quod ſemper uno oculo hominis naturam, altero morbum intueri neceſſum habet, ſelectum inſtituere poteſt.

Ex *lenientibus* & *præparantibus* caſſiam rec. mannam, myrobal. fol. ſennæ, fumar polypod. quer. tartarum, pilulas aloët. Aquapend. Anglicas, Francofurtenſes, cochias aureas, Extr. melanagogum Querc. helleb. nigr. Ejusd. Sjr. roſ. ſolut. de epithimo, fumariæ, polypod. commendamus, ex quibus, & aliis, una cum *ſpecificis* cephalicis e. gr. caſtor. additis, varia formularum genera pro ægrotantis natura, ſexu, ætate, conditione & medici judicio practico præſcribi poſſunt.

Si porro *Emetica*, locum habent, & indicabuntur, quia materiam excrementitiam crudam, pituitoſam in primis viis hærentem per breviorem viam excutiunt, *purgantibus*, utpote ex reliquo corpore humores largius evacuantibus præmitti poſſunt; Caveatur tamen ubique ne fortiora præſcribantur, majori enim cum emolumento natura ducitur, quam pellitur. Ex vomitoriis 🜿 emeticus omnibus palmam præripit; poſſunt tamen etiam alia ad placitum medici adſumi, e. g. infuſum vitri antim. ⊖ ⊕li, ☿ vitæ & ſimilia.

Ex *purgantiũ* compoſitorũ maximâ copiâ, optima, & imprimis quibus *ſpecifica* admiſta ſunt, eligantur, aut, ſi talia in compoſitione nõ admiſta fuerint, addantur. Sic proſunt extract. panchym. Croll. de hermodactil. 🜿reæ, it. ex gummi ♓co Querc. Extract. diacartham MP. de ſuccino Cratonis *MP*. Cochiarum. &c. it. Rad. Gialap. hujusque & ſcamonii reſina, ſcamm. 🜿rat. quibus ol. eſſentiæ & extract. majoranæ, ſalviæ, Caſtor & ſimilia addi poſſunt.

His præmiſſis *diaphoretica* proſunt ad diſſipandum per cutis poros ſerum adhuc reliquum ibidem ſtagnans, & acidum abſorben-

ſorbendum: inter quæ antim.diaphor. cum cinnabarinis non contemnenda. Uſus ligni ſancti à multis egregie in hoc affectu commendatur, imprimis ſi malum pertinacius videatur. Si quoq; malum hoc à ſeroſâ colluvie dependeat, & medico conſultum videatur, non de nihilo quoq; erunt *Diuretica*: v.g. Ad eundem uſum adhiberi quoque poſſunt *aquæ medicinales, Thermæ, Acidulæ.*

Inter caput *particulariter* evacuantia, ſunt *errhina, ptarmica* & *apophlegmatizonta*, vi ſuâ ⊖na lympham è glandulis narium atque oris, & ſic etiam ex cerebro elicientia, ſpiritusque animales ſimul excitantia. Hæc verò rectius præmiſſis univerſalibus, quam in principio applicari ſolent, vid. *Sennert. l.1.p.2.c.33.p. m. 669.* Poſſunt ordinari in forma ſicca, vel humida, prout medico, & patienti magis commodum videbitur. *Materia* his ſufficiens ex ſuperius traditis ſimplicioribus deſumi poteſt. Diætæ intereà legitima ratio à principio usque ad finem curæ habenda eſt conſtantiſſimè.

Ut tandem ABVSVM quoque Mnemocephalicorum pauciſſimis tangamus: Quamvis in capitis affectibus apprime cavendum ſit, ne nimium refrigeremus, tutiusque multò ibi ſit, calefacere, quàm refrigerare; cavendum tamen etiam hic, ut in medio conſiſtamus, & hinc, cùm, ceu ſuperius diximus, medicamenta cephalica, ac in ſpecie memoriâ conſervantia, confortantia & curantia naturæ ſint volatilioris atq; calidioris, & propterea crebrius & copioſius uſurpata, calorem & ſpiritus admodum excitent, & rarefaciant, cavendum probè eſt, ne, dum ſtudemus calefacere cerebrum, id humido ſimul omni privemus, locum hic igitur illud habet: NE QVID NIMIS. Qui enim medicamentis plus juſtô calidis atque ſiccis continuatis, aut crebrius adhibitis, cerebrum ſanctè confortare putant, ipſum haud raro vitali lymphâ planè privant, exſiccant & magis debile reddunt; Exemplo ſit ſem. anacard, quod uſu intempeſtivo adhibitum mire cerebrum exſiccare valet, undè ipſius confectio haud malè ab *Hoffmanno l. 2. de de med, off. c.62.ſ.2.p.387.* Confectio ſtultorum dicitur, quem

vide. Proinde non fruſtra ait ſæpè laudatus noſter *Wedelius* *Amœn. mat. med. p.1. ſect. 3. c.1.* Facilius hic lapſius, facilis error, (puta in mnemocephalicis exhibendis,) ut ultra ſphæram naturæ id fiat, præcipuè in juvenibus, ſiquidem ſuccedente ætate jamdum ſiccitas ſuccedit, ut taceam ἰδιοσυγκρασία tali præſente non ſine periculo alterari nimis poſſe cerebrum; Uti enim rotulæ in horologio, ſi nimis ſubtiles atque molles, tenerioresq; factæ ſunt, & delicatæ, facile exorbitare, & aliquid detrimenti accipere poſſunt: Ita docet experientia, quod præcocia ingenia rarò ſeu nunquam fuerint durabilia. Eôdem locô *vir laudatus* tria quoque ingenioſiſſimorum virorum exempla recenſet, paſſorum etiam proprii nominis jacturam è memoria. Quibus & hoc mihi optimè notum addo: Degebat olim vir egregiè eruditus in celebri quadam urbe propè Naumburgum ſita, qui ſemper ingenii feliciſſimi, ætate jam paulò provectus, & ſenectuti magis magisq; propinqvus, ſæpius orationis dominicæ in cathedra eccleſiaſtica obliviſcebatur, quin paulò ante mortem ipſos ſuos liberos ignorabat, & neminem iſtorum nominare poterat, quæ memoriæ imbecillitas, vel potius abolitio, quantum novi, tunc temporis à multis medicamentorum memoriam largius exſiccantium in juventute adhibitorum abuſui adſcribebatur.

Omnia igitur, ut ubiq; ita imprimis in memoria curandâ non temere, ſed CAVTE fiant, & ſi fieri poſſibile, ex conſilio Medici, qui perpendere novit & indagari cauſam, & pro hujus diverſitate, ac temperamento patientis medicamenta variare; nō enim omnia conveniunt omnibus. Præſertim in pueris non ſtatim ad medicamenta cerebrum & memoriam confortantia currendum eſt, ne ante tempus ipſorum cerebrum exſiccetur, & à bona temperie in intemperiem detrudatur peſſimam; verbô?

Sit modus in rebus, ſit certus deniq; finis,
Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum.

Hæc ſunt, B.L. quæ temperis ratio de memoria diſſerere permiſit: Nos, ut pro Tuo candore hos noſtros conatus æqui bo-

nique

bique conſulas, & ubi forſitan erravimus, id materiæ difficultati & humanæ mentis imbecillitati adſcribas, eſt, quod obnixe rogamus. Interim ſit

SOLI DEO GLORIA!

PErge ita morborum cauſas, methodumque medendi rimari, WOLFFI, & doctus eris medicus.

Ita nobiliſſ. Dno. Doctorando, matrueli ſuo chariſſimo applaudo, & priſcum illud FELICITER! adclamo

PRÆSES.

QVis non theſaurum benè coſtodire laborat,
ne pereat, ferri robore, vecte, ſera?
Theſaurus mentis, gaza pretioſior omni,
non minus ad ſeſe curam operamque vocat.
Hunc dum quærendum memoras, partumque tueri,
eſſe Tibi gazæ pondera vera doces.

Honoris, affectus & memoriæ ergò gratulabundus ſcrib.

Georgius VVolffgangus VVedelius.

INgenium quantum, quid firma memoria, quantum
Judicium præſtet, docta cathedra probat.
Qualia mnemoſynen ſervent medicamina firmam,
Ingenio vegeto judicioque doces.
Quorum tu memor es, memores umbone ſagaci,
Sic erit usque Tui docta caterva memor.

Nobiliſſimo atque clariſſimo Domino Doctorando, Amico ſuo & Fautori honoratiſſimo ſcrib.

Jo. Hadrianus Slevogtius, D. & P. P.

* * *